


05

A

941





I. N. S. S. T.

MERITUM JE-
SU CHRISTI ΘΕ-

ΑΝΘΡΩΠΟΥ,

In Incluta Universitate Wittebergensi

PRÆSIDE

VIRO

Maximè Reverendo, Magnifico atq; Excellentissimo,

DN. JOHANNNE MEISNERO,

SS. Theol. Doctore Ejusq; Professore Publ.

celeberrimo, Consistorii Eccles. Adessore & Tem-
pli ad Arcem Præposito gravissimo, nec non Venerando

Facultatis suæ Seniore,

Domino, Patrono, Præceptore atque Promotore suo per

omnem ætatem observando

publicæ exponit ventilationi

ad d. Octobr.

in Auditorio Maj.

M. JOHANNES SIMON, Dresd.

Facult. Philos. Adj. & Scholæ Oppid.

Rector.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Haken, M. DC. LXVII.

*Præillustribus, Generosisfimisque Liberis Baronibus
ac Dominis,*

DN. HEINRICO, LIBERO BA-
RONI A FRIESEN, Domino in Schönfeldt/Bugka/
Graupa & Zessen/ Consilii Intimi Serenifs. ac Potentifs.
Electoris Saxoniae Directori, Ejusdemque Serenifs.
Celsitud, Cubiculario Comiti,

DN. CAROLO, LIBERO BA-
RONI A FRIESEN, Domino in Røthau/ Gotta &c.
Serenifs. Elector. Saxon. Consiliario Intimo, Cubicu-
lario Comiti & in Senatu Ecclesiastico Præsidi,
Dominis meis gratiosissimis,

*Admodum Generoso, maximè Strenuo, Magnifico
atq; Excellentissimo,*

DN. NICOLAO A Hørsdorff/
Toparchæ in Bröttingen & Hauswalda Serenifs. Ele-
ctor. Saxon. Consiliario Intimo & Comiti Cubicu-
lario,

NEC NON

Summè Reverendo, Magnifico atq; Excellentissimo Viro,

DN. MARTINO GEIERO,
Theologo de Ecclesia Christi meritissimo, Serenifs. E-
lector. Saxon. Consiliario Ecclesiastico, Confessionario
& Aulae Primario Ecclesiastæ,

*Dominis, Patronis atq; Promotoribus meis optimis, maximis,
pagellas hasce devotè ac summissè offero
me meaque studia commendans*

Autor-Respondens,



IN NOMINE JESU CHRISTI

Θεανθρώπων

P R Æ F A T I O

Dum de sanctissimo Christi Merito disputare ingredior, non est, quod expectes, Benevole Lector, quæ de eo disceptari possunt, omnia. Nam & longe plurima hîc occurrunt, quorum singula prolixam merentur explicationem, & vix paucorum dierum spatium, idque nec omninò vacuum, ad contribendas pagellas hæcè suppedit, neque danda non fuit opera, ut quàm minimò constaret typographi labor. Ad tria præcipua capita revocari poterunt, quæ exhibere ac publicæ ventilationi exponere animus est. 1. cui Christus meruerit? num sibi? num omnib. creaturis? nū angelis? 2. quū ad homines spectet hoc meritū, nū omnib. hominibus. 2. quā necessarium sit creditu, quod Christus omnib. hominib. meruerit? DEUS, cujus verbum veritas, nos in omnem veritatem ducat! Amen!

SECT. I. Cui Christus meruerit?

Θέσις I.

Christum sibi aliquid meruisse à Θεόλογον est.

Εξήγησις.

Non præter rem monet B. Meisner. part. 2 Phil. Sobr. sect. 1. qu. 3. merendi vocabulum l. propriè l. improprie sumi. & quanquam posteriori sensu non omninò negetur, quod Christus aliquid sibi ipsi meruerit, quum mereri hoc sensu dicatur is, ad cuius actionem l. passionem aliquid consequitur; priori tamen id non licet asserere, prout nempe respicit mercedem laborib. debitam & jure acquisitam. Unde etiam, eodem observante, sancti Patres, & in his Augustin. Tom. 9. tract. 104. in Evang. Joh col. 505 humilitatem claritatis meritum vocans, non meritum aliquod propriè dictum ratione sui tribuerunt Christo; d. gloriam saltem post passionem impetrasse docuerunt, quod figurato loquendi modo mereri dixerunt.

Membr. 1.

l.

20



ἄντι. Adversantiū hic tres cōstitui possunt classes. I. est *Scholasticorū & Pontificiorū*. P. Lombard. Magister Sententiarū. 3. dist. 18. & Thomas de Aquino part. 3. qv. 19. art. 3. & 41. art. itē 6. & 53. *Belarmin* 1. 3. Cōtrov. de Incarn. c. 8. § primo & l. 5. de Christ. Mediat. cap. 9. & 10 lib. 1 de indulg. c. 4. Svarez. Tom. 1. in 3. part Thomæ disp. 40. sect. 3. *Becan.* in Man. Cathol. 1. 3. c. 2. qv. 4 statuūt Christū per humilitatem & obedientiam suæ passionis meruisse sibi impassibilitatis & immortalitatis gloriam, clarificationemq; corporis & nominis exaltationem. *Alphons. Salmcron* disp. 8. in c. 1. ad Ebr. §. dubium. meruisse sibi vult adorationem latriæ. Gemina his habent *Cornel. à Lapide & Guilb. Estius* uterq; in cap. 2. ad Philipp. nec non *Johann. de Rada* part. 3. Cōtrov. Theol. contr. 12. art. 3. II. *Calvinistarum* classis est, ad quam referre liceat *Conr. Vorstium*. Horum alii Christum sibi meruisse vitam eternam, *Hier. Zanch.* Tom. 8. de Relig. Christ. c. 11. num. 15. & *Piscat. Herborn.* in Lev. 18. obs. 14. nec non Vol. Theol. 3. loc. 25. th. 18. item in Not. ad amic. Collat. Vorstii sect. 38. p. 110. Idem *Piscator* in cap. 2. ad Philipp. observ. 5. summum illum honorem, ut agnoscatur pro filio Dei unigenito, ac proinde tanquam verus Deus adoretur. *Vorst.* in schol. ἀλεξικακ. p. 95. 96. 117. 121. 122. & c. gloriam quandam divine proximitatem *Cloppenb. Gangræn. Anabapt.* p. 133. justificationem sibi & nobis meruisse. *Gisb. Voët.* Probl. de Merit. Christi 33. gloriam Exaltationis h. e. resurrectionis, ascensionis in cœlum, & sessionis ad dextr. Dei, probl. 35. gloriam œconomicam, qua Mediatoris, quam Sententiam posteriorem etiam dicit esse *Zanchii Piscatoris & aliorum*. III. Classis est *Photinianorum hodiernorum*, quos Calvinistis, Pontificiis & Scholasticis hic accensent *Max. Rever. atq; Magnif. Dn. D. Calov.* Synops. Cōtrov. disp. 10. pos. 2. & *Fevrb.* Fascic. 3. Dissert. Theol. disp. 7. Doctr. 7. iisdem tribuens, quod Christum gloriam suam & superexaltationem antegressa obedientia meruisse statuant. Videri possunt è Socinianis *Smalc. Exam.* 100. err. Franz p. 28. & *Socin.* ipse Prælect: Theol. c. 18. p. 107. & c. 29. p. 116.

1.

ἀπόδειξις. Quod v. Christus sibi nihil promuerit, patet vel ex silentio scripturæ. Nihil credendum, nisi quod in Hac vel ἀυτολεξεί. 1. κατὰ διάνοιαν reperitur, ad quam solam in rebus fidei remittimur *Esa.* 8. 19. 20 *Luc.* 16. 29. cui quicquam addere se-
 veris-si

verissimè prohibemur Deut. 4. 2. c. 12, 32 Apoc. c. 22. 18. At Christū
sibi meruisse prorsus ἀγχαρον. de locis, ad quæ provocant Ad-
versarii, postea videbimus. In specie, qui meruerit nomen supra
omne nomen quod ipsi ἐχαρίσατο (ex gratia concessit) ὁ θεός Phil
2, 9. si n. ex gratia, non est ex merito operum secundum axioma
Apostolicum, Rom. 11, 6. id quod ne quid. Smalc Refut. Monstr. p.
124 diffitetur. Et per se patet, omne meritū propriè dictū, ex parte
largiētis, debitū involvere, gratiā excludere. Impasibilitatis &
immortalitatis gloria nō erat accepto ferēda passionis merito.
Habeat eā jā ante passionē actu primo Salvator. Quum n. absq;
peccato esset Ebr. 7, 26. Joh. 8, 46. per se immunis erat a pœnis
peccati, quales pasibilitas & mortalitas; susceperat a passio-
nes carnis per liberam œconomiam interveniente exinanitio-
nis statu & morti se subiciebat nostri causā, cui perse neuti-
quam erat obnoxius. Cessante g. hoc exinanitionis statu nativa
impasibilitas & immortalitas absq; ullius meriti interventu se-
se exerebat. Ut nihil dicā, de illa immortalitate, ac impasibilita-
te, quæ proprius effectus erat unionis hypostaticæ, quæ saltē ad
tēpus im pediebat facta secundū H. N. exināitio. Neq; etiā ex pas-
sionis merito dependet clarificatio corporis finita, qualem cum
primis, vi suarum hypotheseum, intelligunt Jesuitæ. Præterquam
n. quod jamdum ante passionem fuerit clarificatus coram disci-
pulis in monte Thabor (præmium a merito acquisitum, non da-
tur ante laborem) Matth. 17, 1. seqq. a primo certe in carnationis
momento in Christo πᾶν πλῆρωμα τῆς θεότητος in habitavit
Col. 2, 9. adeoq; eidem, ut homo est, infinita gloria quæ κτῆσιν
& aliqualem χεῖρ in communicata fuit. Quid g. opus habuit
gloriam finitam sibi laborib. suis promereri, quum eandem sibi
ipsi, accedente præsertim in statu exaltationis plenario divinæ
majestatis secundum carnem usu, impertiri valuerit. Etenim,
sicut cœtera χαρίσματα, quæ humanæ Christinaturæ subjecti-
vè conveniunt, quodammodo ex unione personali pendent: sic
& clarificatio hæc ad eam suo modo consequitur. Ex quo etiam
patet non opus fuisse, ut vitam æternam sibi promeretur.
Quod si ob præsentiam Dei gloriosam in cœlo triumphantes
φιλόνηρωτοι beatificā Dei visione fruuntur; cur ab ea exclu-
demus Hum. Christi Naturam, cui Deus longe arctiori modo.

- per & propter unionem hypostaticam præsens est. Propterea nunquam in Scriptura legitur Christus, carnem suam pro acquirenda sibi vita æterna dedisse, sicut quid. pro vita mundi carnem dedisse fertur Joh. 6, 51. *Adorationem Patriæ* habuit Christus jam in statu exinanitionis ante passionem, etiam secundum Humanitatem *Matth. 2, 11. c. 8, 2. c. 9, 18. Job. 9, 38.* Et quæ possunt statuere Jesum sibi promeruisse cultus religiosi *ἱ. λατρείας* gloriam, quum nec *Salmero*, nec *Piscator* eam, nequid. in statu exaltationis, ut hominem, habere credant, ut Deum, habuisse ab æterno haud infitentur. Idem esto iudicium *de summo illo honore, quo agnitus est pro Filio Dei.* Nam & eum habuit Christus ante passionem. *Conf. Matth. 16, 16.*
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- Ad hæc, si meruit, ut pro F. D. agnosceretur, meruit ne cognosceretur, secundum H. Nat. & juxta eam Filiū Dei eū esse nō agnoscit Piscator. ut secundum Divinā? ne hoc quid. dicere licet, quia in V. T. teste Ps. 2. pro Filio Dei agnitus fuit. *Gloriā quāndā divinæ proximam* Chr. meruisse *Vorstius* somniat, quia verè divinā ei juxta H. N. cū *Calvinianis, Socinianis ac Remonstratibz* derogat. Verū Salvatori juxta carnē etiam verè divina debetur gloria *Esa. 45, 21, 22.* *Conf. Rom 14, 11. Phil 2, 10* idq; ex unione cum λόγῳ hypostaticā. Quare, quum divinissimam, etiam quā homo, gloriam habeat, quid est, quòd divinæ saltem proximam dicatur meruisse. Quid v. *Cloppenburg* sibi vult cum *merito justificationis?* num Christus citra nostram delictorum imputationem peccator est, ut sibi remissionem peccatorum promereri debuerit? an pro se activam obedientiam præstitit, ut propter eam tanquam innocens in iudicio absolvatur. utrumq; falsissimum esse alibi ostenditur. Neq; ullibi in S. literis Christum sibi justificationem meruisse docetur: ubiq; ad homines justificationis refertur meritum *Rom. 3, 23 28 c. 4, 3 seqq. c. 5, 19. 1. Job. 2, 1. 2 Cor. 5, 21.* Gloriam Mediatoris sibi non meruisse patet, quum eandem per æternum Dei decretum ex commiseratione erga genus humanum in peccatum prolapsam acceperit. Et possunt prætereà *Calvinianis & Pontificiis* opponi proprii ejusdem fidei Socii. E *Pontificiis* plures eam in rem allegat *Joh. de Rada* part. 3. *Controv. Contt. 12. art. 3 p. 346. & 350. 251.* E *Calvinianis* huc spectant

spectant Calvinus ipsi l. 2 Instit. c. 17. §. 6. & super cap. 2. ad Ebr. p. 686. Polan. l. 6. Synt. Theol. c. 26 Chamier Tom. 2. Panstrat. Cathol. l. 7. c. 9. Sibrand. Lubbert. in Comment. ad 99 err. 41. p. 351 352 & c. & alii plures, quos vide apud Feuvrborn. Synt. l. 1. p. m. 735. Cōtra Phōtinianos notetur, passionem Dominicam nullo scripturæ loco pro causa gloriæ & exaltationis Christo f. & venditari, ineq; gloriam & exaltationem ipsam, ut mercedem pro passione redditam describi, imò nequid ut effectum e passione fluentem. Ex adverso D. Paulus Phil 2, 9. docuit, non opus fuisse Christo, ut gloriam & exaltationem promeretur, quia à primo statim incarnationis nomento erat in forma Dei, poteratq; gloriâ suâ plenariè frui, nisi eam ut rapinam ostentare noluisset, adeoq; quoad plenarium exercitium ad tempus in statu κενώσεως ea sese evacuasset.

ἐπίλυσις. Objiciunt hīc cum Bellarm. lib. 5. de Christo c. 9. Becanus, Cornel. à Lap. Estius & alii, duo cum primis loca, nempe Philipp. 2, 9. & Ebr. 2, 9 ex quib. Christū passione suâ sibi gloriâ meruisse, exculpere nituntur. Sed facilis ad ea responsio est. Quod locū ad Philipp. concernit, part. διὸ καὶ non semper notat causam meritoriam. Esto hæc ejus significatio Rom. 1, 24; non tn. est Luc. 1. 35. imò non semper causam notat, tantū abest, ut meritoriam inspecie designet Rom. 15 22. ἐκ βατικῶς sumitur. Significat nempe ibi D. Apost. eventum, quod præpeditus fuerit aliquantis per prædicare Evangelium, respondisse vaticinio Prophetico, quod tn. causa hujus non extitit. Ebr. 13, 12 designat saltem respectum antitypi ad typum, inter quæ nullus datur causalis nexus. Multò minus seorsim partic. διὸ & part. καὶ meritum important, ut l. c. ineptit Bellarminus. quid meriti vocula διὸ Eph. 4, 8 designat Roberte? an, quòd unicuiq; nostrum data est gratia pro mensura doni Christi, causa meritoria est vaticinii de hæc datione Esaiiani? quid dici posset ineptius? καὶ verò non causam meritoriam notat; d. nativâ suâ vi copulat, quod & hīc facit, subsecutam ὑπερῷωσιν cum antegressa κενώσει conjungendo. Præterea ipse contextus & materia, quæ tractatur, non patiuntur has voculas de causa meritoria exponi. Exaltatio ad dextram Dei non cadit sub meritum Christi, quo ipse eam sibi acquirit. verit

quia

II.

I.

Phil. 2, 9.

2.

quia (verba sunt B. Fevrbornii Anti Ost. p. m. 277.) tam divinum
& sublime quid est, ut non nisi altissimo Deo, qui sibi aliquid pro-
mereri non habet opus, competat. Porro *χαρίτα* dicitur illud
nomen supra omne nomen, quod Christus meruisse fingitur.
4. *ἀποδοῦναι* v. sunt mereri aliquid & ex gratia accipere Conf. Rom.
11, 16. Accedit, quod, nomen supra omne nomen juxta Cornel. à
Lap. sit Deus & divinitas, cujus majestas potentia & gloria ab om-
nibus & super omnia nominatur & celebratur. Sed nec meruit
Christus, ut Deus esset essentialiter, quia tali modo Deus est
per generationem æternam Ps 2, 7. Mich 5, 2, non per aliquod
meritum, puta secundum divinam suam naturam, secundum
H. v. essentialiter Deum dicere Eutychianum est. Personaliter
Deum esse si dixerint Papistæ, fateantur, quod unionem hy-
postaticam sibi meruerit, id quod v. Bellarm. l. 5. de Christ. c. 9. 10.
& Becan. l. 3. Man. c. 2. quæst. 4. §. 7. & Tom. 1. in fol p. 585. seq. ne-
gant. 5. Cæterum non nulli quoque Orthodoxorum Patrum me-
ritoriam hanc significationem hinc reprobârunt. Athanas. T. 1. e-
rat. 2. contra Arian. p. 169. frustra igitur, inquit, Arian. innituntur
coniunctioni ideò eum Deus exaltavit. Non n. præmium virtutis,
neq; præstantiam ejus verbò significavit, d. causam sublimationis in
nos redundantis. Cyrill. T. 2. l. 3. Thesaur. c. 2. cavillari scribit, here-
ticos dicentes propterea, ideo & cetera hujusmodi verba causam
significare, propter quam exaltatus sit ipse Filius. Quam cavillatio-
nem ibi multis refutat. Idq; contra Bellarm. notandum, qui
satis impudenter l. 1. scribit, omnes Patres, de causa propter
quam sit exaltatus Christus, exposuisse. Ut concludamus, non
causa meritoria l. quæcunq; alia vera causa hic denotatur; d.
ordo saltem consecutionis, quod prius passus, post exaltatus
sit Filius Dei, designatur, ut ipse Spiritus S. explicat Luc. 24. 29.
6. cum quo confer Luc. 17, 25. Act. 17, 3. 1 Tim. 3, 16 & 1 Pe. 1, 11. Ebr. 2,
Ebr. 2, 9 verba *διὰ τὸ πάθημα γὰρ αὐτοῦ* ex mente Flacii & a-
Norum non sunt referendu ad immediatè subsequenti *ὁ δὲ
καὶ τιμῆς ἐφανώμενος*: d. ad antecedenti *παρ' ἀγγελῶν ἠλατ-
τοῦ ἐνοῦ*. ut sensus sit: Jesum illum cernimus gloriâ & honore corona-
tum, qui paulisper fuit angelis inferior factus propter mortis perpes-
sionem. Sicut & verba textus Beza vertit in N. T. translatione
& in

Ebr. 2, 9

& in Annot. in N. T. majorib. monet construendum esse, licet
 nec omninò abnuat, si cum sequentib. jungantur, dummodo
 sic explicetur, uti dicitur, oportuisse Christum pati & ita intro-
 ire in gloriam. Neque v. Bezae saltim hæc expositio est; verum 7.
 etiam B. Arbanasi Tom. 2. Dial. 1. de S. Trinit. p. 161. a. & Augu-
 stini Tom. 6. l. 3. contra Maximian. c. 25. p. 763. & ex ipsismet Pon-
 tificiis, Corn. à Lap. in h. l. Est igitur hic συγχυσις l. verborum
 trajectio & qs. commixtio, qualem non tantùm in eadem episto-
 la c. 12, ubi ultima vox διχθαι οὐκ ἔστιν ad paulo remotiora verba καρ-
 πὸν ἐπιθυμῶν refertur; sed etiam in pluribus aliis Scripturæ lo-
 cis. Gen. 10, 14. Exod. 22, 20. Leol. 2. 2. Sam. 3, 27. 2. Reg. 24, 3. Ps. 35,
 7. Esa. 23, 11. Jer. 17, 3. Job. 17, 5, 1. Cor. 9, 10. c. 12, 3. Philem. V. 5. &c.
 occurrere notat B. Glass. Grammat. S. p. 745. Admissà hac ex-
 plicatione non docet Autor Epistolæ Christum sibi per passio-
 nem mortis coronationem gloriæ & honoris meruisse: indi-
 cat potius eum in finem Christum fuisse tantisper diminutum infra
 angelos, ut mortem pati posset, vel, (quæ explicatio simplicior vi-
 detur D. Glassio) Christum factum esse inferiorem angelis propter
 passionem mortis h. e. ideò, quia passionem & mortem sustinuit. Si 8.
 tamen Pontificiis displiceat hæc trajectio, probandum ipsis fue-
 ri: præpositionem ἄντὶ cum accusativo constructam semper causam
 meritoriam designare, quod ad Calendas Græcas præstabant. Ob-
 stat n. imprimis Rom 4, 25. nisi dicere velis, peccata nostra meru-
 isse, ut Christus in mortem traderetur, aut justitiam nostram,
 ut resurgeret. Imò nec uspiam occurrit sensu meritorio. Ob-
 stat etiam, quod verbis immediatè subsequentib. dicitur Chri. 9.
 stum gratiâ Dei gustâsse mortem. quod si v. ex gratia, non ex
 debito meriti proprii mortuus est. Quid? Quod ipse Bellarm.
 l. 5. de Chr. c. 10. in fine, & Suarez T. 1 in 3. part. Thom. disp. 4.
 lect. 3. p. 637. col. 2. b. fateantur, Christum non promeruisse, ut esset
 caput Angelorum, id quod tamen dicendum foret, si per passio-
 nem suam meruisset coronari honore & gloria: siquidem hæc
 coronatio etiam hanc ipsius sublimitatem complectatur, quod
 ipse, ut homo, sit constitutus super omnia manuum Dei opera,
 adeoque etiam supra Angelos Eph. I, 21, 22. Ebr. 2, 7. Gloriam 10.
 Mediatoriam meruisse ut evincat Voët. l. c. adducit Ebr. 2, 9. 10. Ebr. 2, 12
 &

& 12, 2. Esa. 53, 11. non v. addit nervum probationis. Fallor ? an
 Ebr. 2, 10. (ad v. 9. jam responsum) in vocibus ἐπεπερε, & ἂν πα-
 ἴνυατος suæ sententiæ præsidium quærat. Quod si verum, op-
 pido fallitur. Etenim 1. ἂν non infert meritum, quod vel ex
 Act. 14, 22. liquet, πρέπει v. debitum ex merito hic involvere
 quæ probabitur; quum longe alio sensu accipiatur Matth. 3, 15.
 1. Cor. 11, 13. Ebr. 7, 26. &c. Unde & à Reformatis Gryneus in h.
 l. istud ἐπεπερε exponit de ordine justitiæ & sapientiæ hoc po-
 stulante, ut expiator peccati Mundi reis esset ὁμοιοι. B. Ger-
 bardo Comment. in h. l. hic dicti sensus est: *Deus, qui est omni-
 um rerum autor & finis, judicavit maximè se decere, ut, quoniam
 multos filios per varias adversitates ad gloriam adduxerat, similiter
 etiam autorem æternæ salutis illorum h. e. Christum dilectum suum fi-
 lium omnium Sanctorum caput per afflictiones consummaret h. e. æ-
 terna, consummata & perfectâ gloriâ donaret, tanquam caput per
 quod etiam reliqua membra gloriæ illius redduntur participia; quâ
 ratione congruit hic locus cum Rom. 8, 29, Ad Ebr. 12, 2. fatemur quid,
 aliquos sic reddere, quasi ἀντί significet propter hoc sensu: qui
 propter gaudium sibi propositum crucem tulit. At Rectius B. Luthe-
 rus: Da er wohl hette können freude haben. Perpetuò n. istud ἀντί
 sensu permutationis accipitur, atq; idem, quod loco s. vice signi-
 ficat in N. T. & apud LXX. Interpretes. Confer. Prov 11, 8. cum 1
 Macch. 16, 3. Matth 5, 38. Luc. 11, 11. Job. 1, 16. Rom. 12, 2. 16. Joh. 4, 15 &c.
 Ad Esa. 53, 11. R. præfixum ὃ non tantum significat propter, sed eti-
 am post (Vid. Schæreus in Itiner. n. 597.) quæ significatio posterior
 commodissime hic retinetur ob parallelismum Luc. 17, 25. c. 24, 26.
 Act. 17, 3. Vorstius l. in antith. cit. contendit Christum sibi meruisse
 obedientiâ suâ activâ vitam æternam, & eam in rem adducit Lev
 18, 5. Sed verba ista loquuntur de meris hominibus. non de The-
 anthropo. Deinde nec dicunt hominem operib. mereri vitâ æter-
 nam: d. tm. asserunt, quòd homo leges Dei perfectè faciens vi-
 cturus sit ὃν in eis, ita ut præfixum ὃ fit nota subjecti & ad-
 juncti. q. d. *omnis homo leges Dei perfectè faciens in illis & in curri-
 culo suorum bonorum operum victurus; & sic vitam æternam non
 amissurus est.* Et hunc sensum sæpius obtinet præfixum ὃ Ps. 17,
 15. Eccles. 7, 16. Ezech. 16, 6. c. 18, 22 Vid. Feuyborn. Synt. 1. p. 731. Neq;
 salvâ*

II.
 Ebr. 12, 2.

12.

Esa. 53, 11.

II.

fidei analogiâ hic dicti sensus esse potest, ut meritum vitæ æternæ asseratur; quum aliàs teneamur legem Dei implere, ideoq; licet perfectadari posset, obedientiâ, nihil promereremur juxta illud Christi Luc. 17. 10. Ex Socinianis *Ostrod. Instit. c. 13* disputat, Christum maximam suæ virtutis & potestatis partem propter suam obedientiam accepisse, & prosecit *Phil. 2, 6. Ebr. 2, 9.* de quib. jam dictum: d. & præter hæc *Matth. 28. 18. Act. 2, 36. Rom. 14. 7. 8. 9.* Verùm in loco *Matthæi & Actorum* dicitur saltem datam esse Christo omnem potestatem, Jesum Nazarenum esse factum Dominum & Christum; de causa v. propterquam data talis potestas, propter quam factus ipse Dominus sit, nullum vestigium apprehenditur. Aliàs constat potestatis illius divinæ & domini majestatici, quod Christo, etiam quâ homini, competit, causam esse, non passionem; quum & ante passionem habuerit istam potestatem actu primo & quoad aliquale exercitium (cui rei miracula ad eo edita fidem faciunt *Conf. Job. 2, 11. Matth. 8, 10. Luc. 10. Sc. Job. 1, 14.*) & Rex natus sit *Luc. 2, 11.* & Dominus gloriæ ante mortem fuerit *1. Cor. 2. 8*: d. unionem cum λόγῳ personalem, ob quam informa Dei existeret a primo conceptionis momento, saltem plenario ejus usu se evacuabat *Phil. 2, 6. 7.* Neque istis locis sibi primum datam esse potentiam divinam, aut Dominum se primitus factum esse ostendit, uti accuratè explicat *Athanas T. 1. orat. 4. p. 280 l.* Et *Cyryll. l. 10 Thesaur. c. 2.* quorū verba videri possunt apud *B. Fevrb. in Antioch. p. m. 208.* sed hoc est, quod docetur ibidē, Christo datam esse potestatem ratione plenarii exercitii, factumq; eum esse Dominum quoad consummatum & incessabile dominium, quo se in statu exinanitionis evacuaverit *Phil. 2. 7. Rom. 14, 7. 8. 9.* non tam ad mortem Christi, quàm ad resurrectionem ejus, l. certè ad utrumq; simul refertur dominatio super vivos & mortuos. (2) dominari non notat maximam virtutis & potestatis Christi partem: dominari n. non est potestas, d. potestatis exercitium: neq; Christus ideò resurrexit, ut demum post resurrectionem fieret mortuorum & viventium dominus. Fuit jam ante mortem & resurrectionem dominus noster *Luc. 2, 11. Job. 13, 3.* mortuus v. est & resurrexit, ut vivis & mortuis dominetur putat

B 2

incessant-

II.

Matth. 2
Act. 2, 36

57

incessanter & plenarie, sicut non erat dominatus in statu exinanitionis. 3. neq; sequitur: ad hoc mortuus est, ut dominetur E. causa propter quam dominatur est obedientia in morte spectata. sicut ἀνακόλυστον: Ad hoc aperiuntur valvæ fenestrarum, ut illuminetur hypocaustum. E. apertio valvarum est causa, propter quâ illuminatur: est n. saltem conditio l. causa sine quâ non.

Θέσ. II. Meritum Christi non pertinet ad Angelos, neque ad bonos, neque ad malos, tantum abest, ut ad omnes creaturas spectare credendum sit.

A'VTÍŷ. Suarez T. 1. in part 3. Thom. quæst. 19. art. 3. disp. 42. sect. 2. p. 660, & post eum è Reformatis Gisb. Voërius part. 2. select. dispp. problem. de Merito Christi part. 3. probl. 6. de Theodoreto refert, quod ad Eph. 1. & Ebr. 2. dicat Christum pro omnib. creaturis mortuum fuisse. Davenantius in Comment. ad Col. 1, 20. dicit, ὅτι omnia reconciliata esse per sanguinem Christi accipi posse de universa hac mundi fabrica metaphoricè liberando à servitute corruptionis & restituendo nativæ suæ integritati & pulchritudini. Vid. Voët. l. c. p. 265 Otto Brunfels. (cit. Magn. Dn. D. Carol. T. 4. Syst. Theol. p. 73.) in Pandect. Evang. Christi crux, inquit, non solum hominibus, sed etiam angelis profuit, & omnis creatura cruce domini purgata est. Musculus in cap. 1. Ephes. & alii de quibus fusè disserit Hier. Zanch. T. 3. l. 3. de operib. Dei c. 21. p. 160. seqq. & T. 6. in c. 1. ad Ephes. p. 19. 20. 21. docent ab integritate principii sui omnem creaturam, tam cælestem, quam terrenam, mox ab initio deliquim passam esse, proindeque ibi à Paulo asseri, Christum omnem creaturam ad principium suum esse reducturum, restauraturum & renovaturum. B. Hutter. LL. CC. f. 472. auctor est Ottonem Brunfels. in Pandect. suis Theol. p. 16. disertè dicere, quod Christus non tantum pro Angelis sed etiam dæmonibus mortuus sit. Alii licet non ad malos, ad bonos tamen angelos trahunt Christi meritum, contendentes Angelos B. habuisse Christum Mediatorem, qui ipsis non modo confirmationem in bono; d. & veniam vitiositatis promeruerit. Calvin. in cap. 1. ad Ephes.

2.

3.

Ephes. v. 10. n. 424. non dubitat dicere, *Angelos per Christum re-*
collectos esse, non quid. ex dissipatione, d. *primum*, ut perfecte &
solidè adhaereant Deo: *deinde*, ut perpetuum statum retine-
ant. *Nullam n. inquit porrò, esse proportionem creaturæ ad crea-*
tozem, nisi intercedat Mediator? quat. v. *creatura sunt, muta-*
tionem essent obnoxii & defectioni, nisi Christi beneficio exime-
rentur. Idem Calvinus in cap. 1. ad Coloss. v. 20. p. 509. opus, ait,
habere Angelos pacificatore, quum in ipsorum obedientia non sit
tam exquisita perfectio, ut DEO omni ex parte & citra veniam
satisfaciat. Applaudit Calvino suo Zanchius T. 3. lib. 3. de operib.
Dei c. 21. p. 161. seqq. & Tom. 6. in cap. 1. ad Ephes. p. 19. 20. 21. & in
cap. 1. ad Coloss. p. 266. Idem facit Bucan. in Instit. Theol. loc. 6.
qv. 10. & loc. 10. qv. 3. Putat quid, injuriam fieri Calvino Wendelinus
ejusq; sententiam è Zanchio vult aestimari Exerc. 32. §. 7. sed &
verba Calvini satis clarè eam, quæ Calvinotribuimus, sensum
exhibent, neq; Zanchius aliter eum explicat. Dicit n. T. 3 l. 3. de
operib. Dei c. 21 p. 164. *S. Angelos, quam non essent extra periculum*
lapsus (quippe qui creaturæ sunt ex nihilo conditæ eoq; mutabi-
les) per Christi gratiam ita confirmatos, ut fixum retineant sta-
tum in justitia & perpetuam cum Deo pacem, & quum ipsorum obe-
dientia, quam Deo præstent, suapte naturâ imperfecta sit, & in-
digna, quæ coram Deo compareat, eam propter obedientiam
Christi perfectissimam pro perfectissima reputari in conspectu Dei.
quid, quæso est meritum Christi referre ad Angelos, si hoc non
est? Bucanum quoq; nititur excusare idem Wendel. l. c. dicens, do-
cere eum quod *Ang B. opus habeant Mediatore non redemptionis à*
peccato, d. conservationis in bono & gratia, nec non ἀνακεφαλαι-
ωσεως, ut rursus unirentur cum electis sub uno capite Christo, &
sine lapsus periculo adhererēt Deo. At hic quoq; perdit operâ W.
Non duntaxat conservationis in bono Mediatorem, d. etiâ libe-
rationis a malo facit, licet verbis idipsū infitietur, dū angelorū S.
justitiâ integritatē & obedientiâ corâ Deo *imperfectâ, mutilâ &*
mancam esse, ut ind. guerit perfectâ & infinita justitiâ Christi regi,
statim subjungit. Vid. *Fevvrb.* Tom 7. Dispp. Giess. d. 13. th. 176. Pa-
tet g quid de Calvino, Zanchio, Bucano sit habendum, Alios i-

- dem sentientes brevitatis causa taceo. Vid. *Gisb. Voët*, qui *Tileniæ Polanam Waleum, Daneum* ipse taxat part 2 select. dispp. de Mer Christ. parte 3. probl. 5. p. 264. ubi & *Rollocum* allegat in Coloss. 1 explicantem, sed ut ipse dicit, ex Scriptura non probantem, eam sententiam, quâ aliquo modo angeli reconciliati, dicantur, non quid. in se, d. in toto corpore Ecclesiæ, in quo antea unâ cum hominibus antè Christi reconciliationem capiti Deo non ita firmiter adhaerent, nec cum eo conjuncti fuerint, De Scholasticis tn. facere non possum quin aliquid addam. Horum pleriq; cum *Thoma* in 3 sentent. dist. 13. disputant vulgò Christum meruisse Angelis B. gratiam & gloriam, quib. etiam accedit *M. Becanus* in Theol. Scholast. part. 1. part. 3. c. 2 qv. 4. aliquam rerum s. mysteriorum revelationem meruisse angelis contendit *Idè* part. 1. Th. Sch. Tr. 1 c. 14. qv. 9.

- ἀπόδ. Thesis nostra firmissime adstruitur ex silentio scripturæ, quæ n. ex S. L. proferunt oī ἐξ ἐναντίας impertinenter allegari ἐπιλ. ostēdēt. Ut tn. in specie de singulis in antithesi enumeratis sētēt is brevissime agamus, primū facile cōstat Christū nō esse mortuū pro omnibus creaturis eò quòd non omnes peccati capaces fuerint. Tales n. nō sunt sub ira, adeoq; nō indigent reconciliari, quem tn. in finem Christus mortuus est, Rom 5. 10. alium eumq; ad omnes creaturas pertinentē ignorat Scriptura. Adde, quod per mortem æternam destructum iverit Ebr. 2. 14. cui omnes creaturas obnoxias fuisse, quum in plerasq; non cadat peccatum propriè dictum, quis dixerit? *Vorstium* bestias diluvio submersas viam suam aliquatenus corrupisse & pœnam sibi analogam pro meritis esse somniantem vel ipse *Piscat.* in Not. ad Amic. Collat. *Vorst.* sect. 94. p. 161. s. castigavit. (2) si B. Angelorum obedientia, antequam confirmarentur, sic erat mutila & manca, ut citra veniam Deo non satis fecerit & oportuerit eam regi justitiâ Christi; Deus creavit aliquod malum. Sed posterius est absurdum Conf. Gen. 1. 30. E. & prius Consequentia liquet. nisi n. vitiosa esset imperfectio nō nec esse foret eâ regi, nec venia opus haberet. Et hoc adversus *Wendelin.* observare operæ pretium erit, qui ex sētentia, *Calvini, Bucani & Zanchii* nullam in Theologia absurdum enasci, andacter scribit. Exerc. 32. §. 7. p. 485. 3. si Christus est Mediator Angelorum ratione ἀνακεφαλαιώσεως recollectionis & cum

& cum Deo pacificationis; Christus Angelorum causa incarnatus est. Sed falsum posterius. E. *Propositio* probatur, quia eo fine Christus venit in carnem, ut cuncta recolligat, pacificet & reconciliet Deo Eph. 1, 10. Pro *Assumptio* faciunt, quæ extant ap. Dn. D. Calov. T. 4. Synt. Theol. p. 74. nobis filius datus, nobis parvulus natus Esa. 9, 6. nobis natus Salvator Luc. 2, 11. mundo i. e. omnib. in mundo datus est. Job. 3, 16 nobis factus est redemptio & Justitia 1 Cor. 1, 30. 4. Quicumq; cruore Christi purgantur, illos immundos esse oportet & mediatorem propriè dictum agnoscere. patet prius, quia purgatio immunditiam præsupponit: posterius; quia purgatio per sanguinem propria Mediatoris actio est. Atqui nec Angeli B. immundi sunt, nec Mediatorem propriè dictum agnoscunt. Unus Mediator Dei & hominum 1 Tim. 2, 4. de Mediatore Dei & Angelorum propriè dicto nihil extat usquam. De merito gratie confirmationis, applicationis, & promotionis, quod quidam Calvinianis tuentur, de merito item gratie & glorie revelationis item mysteriorum, cui Pontificii favent, & quicquid præterea de Merito pro Angelis in Anthesi adductum, teneamus, illud Voëti, quod Becano l. c. opposuit: nusquam tale quid in Scriptura comparet. Conclusionis loco illud addo, quod si in corpore Ecclesiæ facta per Christum Angelorum B. reconciliatio cum *Roloco* dicitur; membra Ecclesiæ angeli statuatur oportet, id quod plurimi tamen à Reformatis negant Perkins. in Explic. Symb. Apost. p. 511. Piscat. Vol. 1. Theol. Theol. loc. 23 th. 18 & Vol. 3. loc. 10. qv. 1. Wendelin. Exerc. 13. §. 10. & in System. Maj. l. 1. c. 28. th. 24.

ὁπίλυσις. Davenantius Côm. in Col. 1, 20. dicit τὸ omnia reconciliata esse per sanguinē Christi accipi posse de hominib. propriè, tollendo ipsorum peccata & iram DEI; de Angelis analogicè tollendo possibilitatem labendi, & incurrendi iram DEI; de universi hac fabrica metaphoricè, liberando à servitute corruptionis, & restituendo nativæ suæ integritati & pulchritudini. Sed rectè hæcenus respondet Gisbert. Voët. part. 2. D. S. p. 265. ob locum Col. 1, 20. non est quod distinctiones tales ad vocemus: simplex n. & plana ejus interpretatio de Ecclesiæ triumphantis & militantis membris analogia contextus & totius Scripturæ optimè convenit. Musculus objicit Eph. 1.

4.

5.

6.

1.

2.

Eph. 1, 20

Col 1, 20

Eph. 1, 10. Resp. non esse per vocem *τὰ πάντα* omnes in universum creaturas intelligendas, largiuntur alii quoque è Calvinianis, qui id de toto Ecclesiae corpore explicant. Vid. *Beza & Piscat.* super h. l. Et cur de omnib. promiscue rebus creatis id intelligendum foret, quum nec omnes recollectione opus habuerint, nec recolligi debuerint. Sicut g. Joh. 1, 3. *omnia* per Christum *facta* esse dicuntur, putà, quæ facta sunt: ita & *omnia* hic dicuntur *recollecta*, quæ videl. recollecta sunt. Conf. Col. 1, 20. ubi etiam *omnia* dicuntur reconciliata per Christum, nempe quæ reconcilianda erant pace factâ per sanguinem crucis ejus vel specialius, *omnia corporis mystici membra*, cujus caput ipse præced. v. 18. dictus est. De utroq; sc. ad Ephes. & ad Coloss. loco. Vid. *ὁ νόμος ἐν ἀγίοις Hüter.* LL. CC. p. 472. Ex quo etiam per se fluit, quid *Davenantio* respondendum. si n. de solis Ecclesiae militantis & triumphantis membris accipiendus locus est, quâ ad omnia in universum extendi poterit? Et quum homines propriè Col. 1, 20. hic dicantur reconciliati *Davenantio*, nonne absurdum erit dicere, quod universa mundi fabrica sanguine Christi metaphoricè reconciliata sit. Sicu-
4. nus vocis, in una simplici oratione & propria & impropria erit significatio. Pro Merito Christi ad malos Angelos extēdēdo abutitur *Brunfels.* 1 *Per 3, 19.* ubi v per spiritus intelligūtur, non demones, d. animæ separatae, sicut & beatorū animæ nomine *τῶν νευμάτων* veniunt Ebr. 12, 23. præsertim quum dicantur illi olim non credidisse præconio Noachi. Neque per prædicationem concio pœnitentiæ, d. illustris quadam patefactio & manifestatio gloriosæ victoriæ, quâ sese exhibitum declaravit, intelligenda. Quo modo etiam exponunt *Ambros.* in Eph. 4. & *Athanas.* lib. 8. de Incarn. Verbi. Conf. *Adm. Rev. & Magnif. Dn. D. Prof Disp.* de Descens. Christi ad Inferos c. 3. § 22. seqq. Probationes *Scholasticorum*, quæ collectæ videri possunt apud *Becan.* Theol. Schol. part. 1. tom 1. tr. 3. c. 2. quæst. 4. stramineas dicit *Voëtius* l. c. p. 263. Nolumus g. eas adducere. Ipse v *Becanus* suam sententiam de Merito revelationis mysteriorum probat ex *Esa. 63, 1.* (quod tn. inter ridicula nugamenta, non argumenta numerandum meritò censet *Voët.*

quum

quum ibi de angelis plane non agatur) nec non ex Eph. 3, 8. Sed paucis notandum, doceri eo loco augmentum scientiæ Evangelicæ & quid, per prædicationem verbi. N. a. C. Acceperunt scientiam per prædicationem verbi E. per & propter meritum Christi. Sine dubio homini si perstitisset in statu integritatis, scientia uberius accessisset per revelationem verbi, neque tamen propter meritum Christi, homini in peccatum pro lapso unicè destinatum.

SECT. II. De Universalitate Meriti.

Θεσ. Ut certum est meritum Christi spectare ad homines: ita non minus ad omnes in universum pertinere per Scripturam edocemur.

ἐξῆγ. Christum hominibus meruisse quamvis negent Socinistæ; nos tamen id ipsum ut ἐξ ἀγαθῶν supponimus, saltem de eo contra Calvin. acturi, quàm latè hoc ipsum pateat meritum. Ubi quidem 1. non quæritur de universalitate ad electos restricta: talem n. omnes Calviniani admittunt. neq; 2. an meritum sit universale ad omnes se extendens homines, quoad sufficientiam, si non efficientiam: talem n. Meriti Christo universalitatem plurimi certè largiuntur. neq; 3. an Christi mors ex æquo ad omnes pertineat, si credant: id n. quoque admittunt et Reformati nonnulli hypothetici inde dicti. Vid. omninò præter *Fundam. Deduct. Marburg. Veneranda Facult. Theol.* in hac Academia scriptum *Germanicæ* sub titulo *Gründlicher Beweis/ daß die Calvinische Irrthüm der Grund des Glaubens hetreffen* part. 2. c. 2. qv. 2. 3. 8. seqq. *Magn. D. D. Præs. Exam. Catech. Palat. Disp. 29. th. 6. usq; ad finem illius disput.* Quæstio g. est, utrum omnes in universum homines, tam reprobi, quàm electi per Christum redempti sint, non tantum sufficienter, sed & efficienter (in quantum sensum orthodoxum admittit ista distinctio) neq; saltem sub hypothesi, si credant: d. citra intuitum fidei, respectu saltem habito, ad communem, in qua hærebant ad unum omnes, miseriam. Quam quæstionem affirmo & contra Calvinianos probatam dabo.

ἀπόδ. Universalitas Meriti Christi probatur 1. ex Joh. 3, 16. Quos

C

16. Quos

1. 16. Quoscuq; Deus sic dilexit, ut Filium suum ipsis Redemptorem miserit, pro iis omnibus Christus meruit. At omnes in universo homines tam electos, quam reprobos sic dilexit Deus, ut Filium suum ipsis Redemptorem miserit. E. Minor probatur, quia dicitur dilexisse mundum, per quem nihil aliud, quam universus hominum coetus intelligitur, uti docuit D. Jacob. Andreae in Colloq; Mompelg. p. 542. edit. Tubing. p. 441. edit. Witteb. Et si evolvamur totam Scripturam, deprehendemus vocem hanc ubi denotat homines, non aliter, quam duob. capi modis i. pro impiorum caterva Joh. 17. 9. 14. 16. i. Joh. 2, 16. c. 13, 13. 2. pro toto hominum in mundo viventium coetu Joh. 1, 29. c. 3, 19. 2. Cor. 5, 19. Joh. 2, 1. 2. Utrovis a. modo accipias hic, patebit Deum non solos electos, d. omnes dilexisse, iisq; suum misisse Filium. Adde, quod mundus hic complectatur fideles & infideles, in quos sequenti v. dispescitur: electi n. non possunt dividi infideles & infideles, qui damnantur. Excipiunt tn. Calviniani per mundum intelligi electos. Beza part. 2, Resp. ad Colloq; Mompelg. p. 212. cui v. jamdum satisfactum a B. Dn. D. Paulo Tarnov. Comment. in Joh. part. prior. cap. 3. qv. 26. Piscator in Latin. & German. Bibl. suis. super h. l. & in part. 2, Resp. ad Amic. Dupl. Vorstii p. 269. 270. 321. 505. & part. 3. p. 94. 97. 98. 119. cui satis fecit B. Fevrborn. Synt. 1. part. 2. diss. 2. th. 4. seqq. De Polako, Molino, Massonio, quos ibi citat. Fevrb. non dicam; saltem videbo, quid Wendelinus hic regerat. Is v. Exerc. 64. imprimis prolixus est in enervanda vi nostri argumenti, atq; in loco tam illustri detorquendo §. 3. Exercit. all. reponit per mundum in Scriptura quandoq; electos & salvandos notari. Adducit ibi ea gratia Rom. 4. 13. & 2 Cor. 5. 19. in System. Maj. quod post obitum ipsius lucem vidit, lib. 1. cap. 17. p. 671. Joh. 12. 47. c. 17. 23. imo vult per mundum in allegatis locis principaliter intelligi gentiles, per universum mundum dispersos, qui olim extranei erant a pactis promissionis, & ideo Judeis, qui sibi solis Messiam vendicabant, & gentiles excludebant opponi. Hæc & alia quædam loca ex parte Masson part. 3. Anatom. cap. 9. p. 221. seq. & Job. Croa. part. 2. Conversat. Pruten. c. 16. p. 163. opponit. At quavis daretur, alicubi hoc sensu accipi, probandum, hic loci eum significatum retineudum esse. Quamvis ista loca nondum probent in Scriptura vocem Mundus pro electis usurpari Rom. 4. 13. dicitur.

Rom. 4, 13.

dicitur quidem idem Abraham hæres mundi per iustitiam, quæ
anteà v. 11. dicebatur pater omnium credentium, malè verò ex eo
infert *Wendel. E.* mundus notat electos (1) malè ad antecedentia
id refertur quia v. 11. Abrahammo ut Patri privilegium aliquod per-
sona adscribitur. at h. l. v. 13. non solum Abrahamo, sed etiam ejus se-
mini κληρονομία τῷ κόσμῳ attribuitur. (2) Abraham non dicitur Hæ-
res, sed Pater credentium, Ergò nomine mundi, cujus Hæres Abra-
ham factus dicitur, non possunt fideles in mundo intelligi (3) Vocem
h. l. de hereditate vitæ æternæ potius sumi, patet ex tes. seq. ubi vitæ æ-
ternæ hereditas circa nomen κληρονομία, intelligenda est. Sensus itaq;
est: Abraham fide factum esse heredem vitæ cælestis & gaudiorum,
quæ ἐν τῇ οἰκῶμεν μετὰ θεοῦ Hebr. 11, 5. illis fidelibus expectanda sunt.
Hunc mundum seu futuram beatitudinem per fidem consequimur
Mar: XVI. sunt verba B. Dn. D. *Welleri* Comment in h. l. p. 295. In
2. Cor: 5, 19. eos nomine mundi intelligendos, qui reconciliantur
Deo, & quibus non imputantur peccata & hos solos esse electas
supponit. Contra: illos ibi per mundum intelligit, pro quibus
Christus est mortuus, quia mors ejus fuit reconciliationis me-
dium *Rom: 5, 10. Col. 1, 22* pro omnibus verò hominibus Christus
mortuus est, ut patet ex præced. v. 14, 15 hujus ipsius capituli. Ad-
hæc obsecrant Apostoli omnes homines, ut resipiscant & Deo
reconcilientur. Act. 17, 30. 31. qui nomine mundi intelliguntur, ut
patet ex collat. v. 20. Et cur synecdochicam sectaremur propriâ si-
gnificatione vocis mundus missa, cum à proprietate nos non ju-
beat recedere Sp. S. Rationes *Wendelini* quibus vult persuadere sy-
necdochicâ hic obtinere significationem, vocabulū κόσμος, frivo-
læ sunt. Nam solos electos Deo reconciliari, l. ita, ut soli actu
sint sub gratia, vel ita, ut reconciliationem hæc ipsis solis Chri-
stus promeruerit, utrumq; falsum est. Prius propter *Rom. 5, 11. 12.*
quæ et fides τῶν προσαίτων vera sit adeoq; justificet, ut ut Refor-
mati id negent, omnes fideles, non tantum in fide finaliter per-
severantes seu electi, quamdiu persistunt in statu justificationis,
actu sub gratia Dei sunt & recōciliati. Posterius de recōciliatione
ratione meritoria acquisitionis spectata ad solos electos restricta
idē falsum est, quia hoc respectu communis est reconciliatio
omnibus hominibus 1 *Joh. 21* 2 Nam propter Christi intercessio-
nem &

4.
2. Cor. 5, 19.

5.

nem & satisfactionem iram suam tantisper de posuit Deus, ut nolit cum ullo homine peccatore ex rigore suæ justitiæ vindictivæ agere (sicut egit cum lapsis Angelis) sed velit ipsis propiti-
us esse. Quod verò non omnes actu cū Deo reconcilientur, causa est ipsorum ἀπιστία, quòd meritum istud respiciant, nec sibi applicent; qui n. non credit, super eum manet ira Dei, Joh. 3, 18. 19. 36. De non imputatione peccatorum quam urget Wendel. facile quoque expeditur. Nempe ii tantum hic nomine mundi intelliguntur, quibus Deus non imputat peccata ratione propriæ satisfactionis. Isti verò sunt omnes homines. Deus n. omnium hominum peccata super Christum conjecit, eiq; imputavit satisfactoriè nostri loco expianda. Esa. 53, 4. 5. 6. Psal. 89 29. Neutiquam verò notione mundi intelliguntur, ii, quibus Deus non imputat peccata ratione alienæ videlicet Christi satisfactionis verâ fide appropriatæ Rom. 4. 8. vel ut *B. Danhavv.* Hodom. Spir. Calvin. 8. resp. ad 5. per peccata intelliguntur περιγεγονότα Rom. 3, 25 hoc sensu ii tantum nomine mundi designantur, quibus Deus non imputat peccata præcedentia. Nemini verò imputat Deus peccata præcedentia, sed saltem ἀπιστίαν finalem imputat quibusdam i qui vitio proprio increduli moriuntur. In *Joh. 12, 47. c. 17, 23.* mundus non vocat electos, quod vel ipse *Calvinus* in *Joh. 17, 12.* agnoscit, eò quod toto hoc capite mundi nomen pro reprobis accipiatur, & continuò hic mundus ab omnibus, qui sunt Christi, separetur *Joh. 12,* agitur de mundo, ad quem servandum Christus missus est, qui venit servare τὸ ἀπολωλός, non tantum electos, qui nec soli perierant Matth. 19, 11. Luc. 19, 10. Conf. 1 Tim. 1, 15 Ebr. 2, 14. 12. quod si principaliter nomine mundi gentiles, per universum mundum dispersi intelliguntur, nec ideò reliqui excluduntur homines (significatum n. principale cum adæquato nō est confundendum) neq; omnes gentiles electi sunt. Sed de aliis, etiam exceptionibus *Wendelini.* Sic argumentatur 1. illa universalitas per mundum intelligitur, quam Pater & Filius intimè & summè dilexerunt. Ast absolutam universalitatem intimè non dilexerunt. Resp. Major est ambigua. valet de dilectione generali, quod & *Steinius* part 1. p. 379 f. & part 3. Fraternal. Evangel. p. 31 32. admittit, licet distinctionem dilectionis divinæ in generalem & specia-

6.

Joh. 17, 23.

Joh. 12, 47.

7.

specialem minus orthodoxè explicet. Sed hoc sensu neganda
Minor: dilexit n. omnes homines summo hoc amore, ut filium
omnibus daret redemptorem. Joh. 3. 17. & fidem præberet omnibus
Act. 17. 31. Neq; pugnat hoc cum odio Dei in reprobos, quam di-
verso respectu Deus eos amare & odisse dicatur; amare secun-
dum voluntatem antecedentem; odisse secundum consequen-
tem judicariam. De speciali Dei dilectione ut *Minor* vera sit,
tamen *Major* fallit. Dicitur n. Deus diligere eos, qui possunt pe-
rire, per suam ἀπιστίαν. At dilectio specialis fidelium propria est
2. illa universalitas per mundum intelligitur, cujus solutem tanquam
finem missi filii unigeniti Deus Pater intendit. At absolutè universalita-
tis salutem tanquam finem &c. E Resp. ad *Minorem* profus nullo
modo intendere salutem omnium hominum falsum est. Distin-
gve inter intentionem absolutam, & certam mediorum τὰς ἐν in-
cludentem. Intendit Deus salutem omnium hominum, verum non absolutè
non volens salvare homines quocunq; sese gerentes modo: sed
hunc ordinem instituit, ut per verbum divinum ab ipsis auditum
& conservatum, perq; sacramenta juxta Institutionem divinam
usurpata salventur. 1 Cor. 1. 21. Nihil pro *Minore* probanda facit hy-
pothesis Quod Deus non assequitur, id ut finem suarum actio-
num non intendit. Conversionem malitiosè repugnatiū Deus non
assequitur. E. intendit. eā non Neutiquā. Nonne Pharisei dicuntur
malitiosè repugnando sprevisse consilium Dei ad versus se.
Luc. 7. 30. nec voluisse ꝑcum Christus illos colligere voluerit
Matth. 23. 34. Quod non assequitur Deus id non intendit
absolutè, licet intendere possit sub certa τὰς ἐν mediorum;
quam cum homines non observant, Deus non assequitur, quod
intendit. Neque fine excidit ideò Deus; ut putat *Vendeli-
nus*, quia ipsi nunquam propositum fuit, homines, qualiter-
cūq; segesturi essēt, salvare. Vult n. Deus omnes salvari, sed m.
vult, ut ad agnitionem veritatis perveniāt. Tim. 2. 4. Conf. 1. Pet.
3. 9. (3) illa intelligitur universalitas, pro qua Christus intercessit, &
sacrificium suum presentavit. Pro absoluta universalitate non inter-
cessit. R. *Minor* simpliciter vera non est, propterea quod
Christus dicitur noster ὁ θεὸς ἡμῶν. Joh. 2. 1. Inter hos n. ad
quos

8.

9.

12.

Joh. 17, 9.

quos scribit, (siquidem est epistola Catholica) non tantum
erant electi, sed & reprobi, & vi coherentiae verborum tam
late patet intercessio Christi, quam ejus propitiatio, qua hic
διὰ τῆς ἰδέου ad omnes extenditur. Nec probat Minorem Joh.
17, 9. Nam i. dicit Christus se nunc non orare in presenti, ex
quo non sequitur ipsum nullo tempore pro mundo seu impiis
orare. Sicut nec sequitur: aliquando oramus specialiter pro æ-
grotis parturientibus, iter facientibus E. pro cæteris nun-
quam oramus. Certè hoc ipso capite v. 21. 23. petiit Christus,
ut credat mundus, quod DEUS Pater eum miserit. Et postea
in crucifixione pro crucifixoribus oravit Luc. 23, 34. (2) de vo-
luntate Dei consequente judiciaria accipiendum, quod pro
mundo non orasse dicitur ex quo verò non licet inferre, quòd
nec juxta voluntatem antecedentem pro iis orarit. Hæc enim re-
spicit homines in universum 1 Tim 2, 4. Unde etiam v. 21 23. jam
allegatis pro mundo orasse perhibetur, putà secundum antece-
dentem, misericordem & benignam voluntatem (3) nec nihil
omnino incredulis orasse dici potest, quum petierit, ut credat
mundus, se à Deo missum esse v. 21. 23. negat saltem Christus, se
ea bona rogare impio & impenitenti mundo, qua talis est, &
manet, quæ rogavit fidelibus. An verò ex eo efficitur, cum ne-
quidem orasse pro infidelibus, ut à peccatis ad Deum convertan-
tur, fideq; salvi fici donentur, & ita conversi, tandem etiam o-
rationis Christus pro fidelibus fusæ fructum sentiat? Quare po-
tius invertimus hoc argumentum. Pro quibus Christus inter-
cessit, illi sub ea comprehenduntur universalitate. At Christus in-
tercessit etiam pro impiis E. *Illà universalitas intelligitur, quam
Pater morte Filii reconciliatus ab ira servat. Atqui absolutam univer-
salitatē Pater morte Filii reconciliatus ab ira non servat.* Major h̄ intel-
ligitur de iis quos actu servat, ad beatificā sui visionē admittendo
falsa erit, neque id ex Rom 5, 8 9. 10. probatur. Ibi enim in
verbis (*multo magis servabimur per eum, multo magis reconciliati
servabimur per vitam ejus*) ad quæ procul dubio respicit adver-
sarius, non dicitur, quid omnibus, quos Deus sic dilexit, ut
filium eis dederit, expectandum sit. Tantum exponitur quis
justificatorum h. e. eorum, qui vera fide, missum Dei Filium
ample-

12.
Rom, 9. 10

amplectuntur, status & conditio sit, id quod constat ex scopo
Apostoli. Vult enim, postquam explicaverat, in quo nostra
consistat, coram Deo justificatio: nunc persequi fructus &
effectus justificationis, qui non aequè latè patent cum di-
lectione illa, ex qua Filius Dei nobis missus est, quic-
quid per errorem opinentur Calviniani, ex verborum em-
phasi patet. Expresse enim dicit *δικαιοσύνης ἵνα δικαιωθῶμεν* *servabimur*, & quanquam v. 10. utatur voce *κατὰ ἀλλὰ γέντες*, quæ
in priori hujus versus parte & 2. Cor. 5, 19. de reconciliatione
ratione meritoria acquisitionis spectata seu ipso reconcilia-
tionis merito usurpatur: hic tamen in posteriori parte de
reconciliatione, prout in applicatione per fidem facta con-
sideratur, seu quatenus eam actu possident, eaque perfruun-
tur justificati, est sermo, sicut etiam 2. Cor. 5, 19, 20. non obstan-
te, quod priori v. 19. parte de divina reconciliationis intenti-
one ejusque meritoria per Christum acquisitione actum fu-
erit. 3. idem quoque *σωτήριαν* textus docet: comparat enim
redemptionis & justificationis beneficium ratione fructuum
ex utroque redundantium, & à minori ad majus argumen-
tatur hoc sensu: *Si DEUS nobis est reconciliatus per Christum,*
meritorie, cum essemus hostes quod minus verisimile videbatur: mul-
tò magis servabimur ab ira nunc justificati, & ex inimicis amici per
fidem redditi. Sin capiatur *Major* de iis, quos servat me-
ritorie, admittimus eam & in v. 16. in 3. Joh. cum v. 17. collato
fundari censemus Neque n. causa est hic per mundum ele-
ctos intelligere, & præter necessitatem à propria significati-
one vocis idque tam sæpe in uno loco, ad synecdochicam, ne-
que dum ab Adversariis probatam, recedere. Hoc verò
sensu *Minor* falsa erit & toti Scripturæ contraria Conf. *Matth. 18.*
Luc: 19, 10. 1. Tim: 1, 9. 1. Job: 3, &c: Probatio VVendelini spectat
Minorem de actuali salvatione intellectam, quam antea concessi-
mus, falsam in eo sensu *Majorem* pronunciantes. *5. Illa universalitas*
per mundum intelligitur, cui Pater morte Filii reconciliatus omnia
gratificatur. Atqui absolute universalitati omnia non gratificatur. E.
Resp. *Major* argumenti aut loquitur de gratia quadam irresistibi-
li, quam aliàs sibi Calvinistæ imaginantur, aut loquitur de
gratia, quæ non semper admittatur. si prius probet *Wendel.* de gra-
tia irresistibili agere locum *Rom: 8, 32* è quam suæ Majori præte-
xit:

13,

14.

xit: ἀσυλλόγιστον certè: Deo omnia gratificatur eū Christo E.
irresistibiliter. Idè certè Deus fidè gratificatur omnib9, quod
9tra Scripturā Act. 17, 31. hic negat *Vend.* neq; tn. irresistibiliter,
secus omnes crederēt. Sic obnitebantur gratiæ divinæ, quos i-
deo redarguit πρωτομάρτυρ Act. 7, 51. Et loc9 iste Paulin9 Pa-
racleticus est, oppositus dubitationi de gratia Dei sufficienti,
quo docet Deum cum Christo nobis gratificari omnia ad sa-
lutem necessaria quantum in ipso est. Quo ipso satis erigi
potest afflicta & gratiæ divinæ sitiens anima, quæ de se ipsa
desperans ex DEO omnia expectat, utut sciat præfractos
gratiæ divinæ contemptores, eam repellere, & sic propria
culpa ea non fruisi. Sin *posterius*, & hoc sensu intelligatur
Major. Ea universalitas intelligitur, cui Deus Pater omnia
gratificatur, quantum in ipso est, negamus *Assumptum*, quod
vocat *VVend.* Ratio negationis est, quia |gratificatur nobis o-
mnia ad salutem necessaria, ut sonorâ voce pronunciat Apo-
stolus, quod dici certè non posset, si nec irresistibiliter, nec
saltem quantum in ipso est, gratificaretur omnia. Ad probat.
dico An DEUS quantum in ipso est, velit omnibus dare fi-
dem, justificationem, sanctificationem, & vitam æternam
per experientiam non cognoscitur; Scriptura verò id non
negat. Quod non gratificetur hæc dona irresistibiliter, licet
per experientiam & Scripturam constaret, uti certè, ex po-
steriore præsertim, constat, probatione non eget, quum
antea concessum sit. 6. *Illam universalitatem intelligitur, que re-*
dempta est DEO per sanguinem omni tribu & lingua & populo &
natione. Atqui absoluta universalitas non est redempta &c. E. un-
de probas VVend. non plures comprehendi sub ea universali-
te, quàm qui hos DEO cantant. Scilicet quia hanc universali-
tatem cum electis æquè latè patere putas? hoc μέγα λίσαν αἰ-
τήμα, neque in loco isto Apoclyptico dicitur. Dicis: non
plures comprehendi ideo, quia hi sunt redempti: Repono
esse quidem hæc numero redemptorum; sed non eum absol-
vere aut conficere per se numerum. Non enim de solo Chri-
sti merito, sed de plenaria liberatione loquuntur quatuor a-
nimalia & viginti quatuor senes, sicut etiam nomine redem-
ptio-

ptionis venit plenaria ab omni malo liberatio, quam petimus in oratione dominica Math. 6. Conf *Luc: 21, 28. 1 Cor 1. v. ult* & adde Pl. Rev. ac Excell. *Dn. D. Kromayerum* Comment. in hunc locum.

7. *Illam intelligitur universalitas, quæ ovium & Ecclesiæ Christi venit nomine.* Atqui absoluta universalitas ovium & Ecclesiæ Christi nomine non venit. E. Resp. fallit Major, cum non ovibus tantum & Ecclesiæ dederit filium suum Deus, sed toti mundo. Christus est Salvator omnium, præcipue fidelium 1 Tim. 4. Nec sibi constat probatio, quia Scriptura restringit mortem Christi ad multos, quos Ecclesiam & oves Christi nominat; Etenim non sequitur, Mors Christi restringitur ad multos E. ad oves, ad Ecclesiam, quum Ecclesia sit parvus grex *Luc. 12. 32.* nec (quia nomine Ecclesiæ exercit. 63 § 15 solos electos intelligit) hinc licet colligere. Mors restringitur ad multos E. ad electos, quia multis opponuntur electi, & pauci potius esse perhibentur, ut taceam, ¶ Multus non præcisè particularitatem inferre, quum quandoq; & universalitatem notet, Quod quamvis in *Theol. Christ. l. 1. c. 17* refutare allaboret, oleum tamen & operam perdit, quod vel ex *Danba W. Hodom Calvin. p. 1641* addisci potest. Neq; sequitur: Christus mortuus dicitur pro ovibus, pro Ecclesia, E. non est mortuus pro reprobis. Quasi verò omne id, quod de ovibus & Ecclesia Christi affirmatur, de reprobis negandum sit. Forsan etiam sic argumentandum, Ovibus & Ecclesiæ, seu (ex mente Calvin.) electis prædicatur Evangelium E. reprobis non prædicatur. Aliud docemur *Matth. 13, 19 20.* Electi baptisate tinguntur E. non reprobi. Obstat huic consequentiæ *Act, 8, 13.* Electi percipiunt S. Cœnam E. non reprobi, contra *1. Cor. 11. 27.* Valet hic illud tritum: Unius positio non est alterius exclusio. Nota insuper, quod duplici nomine electi & fideles redempti dicantur 1 per Christi antitypum 2 per fructus actualem perceptionem *Matth. 6. 13. Apoc. 5, 9.* quæ causa est, cur ipsis speciatim tribuatur mors Christi vicaria. Quis verò ferret sic argumentantem? pro Electis dicitur mortuus Christus duplici nomine. E. nullo prorsus pro reprobis mortuus est (8) *Illam Universalitas est intelligenda, quæ cum ad redemptionis opus peragendum mitteretur Filius, idq; actu perageret, redimi potuit.* Atqui absoluta universalitas tum redimi haud potuit,

D

quis

17.

18.

quia plurimi ex eâ ad inferna jam erant detrusi; unde nulla est redē-
prio E. Resp. Major loquitur vel de redemptione satis factoria vel
actuali, si de hac, probationem desideramus. Neq; enim pro-
batio VVend. sufficit, dicentis, ab omni ratione esse alienum & im-
primis sapientiâ divinâ, Christum ad impetrandum esse missum, quod
impetrare non potunt, cum mitteretur. Quia Christus non est mis-
sus ad impetrandum hoc, ut qui actu per ἀπιστίαν suam in fauces
Erebi inciderant, exinde liberarentur.

19. Sin autem de illa concessa *Majore*, *Minorem* negamus, quum
non saltē potuerit, sed etiâ debuerit, satis factoriè redimi caterva
damnatorum: alioqui ob ἀπιστίαν suam non potuisset justè damna-
ri. Quis n. dicat justè fuisse damnatos, ob ἀπιστίαν, quod falsum
non crediderint. Habemus hic confitentem VV. Sic enim is *E-*
xercit. 64. § 17. in fini. & illos propterea mortem eternam meritos,
quod pro vero non habuerint, quod falsum erat, quis quaso sane mē-
tis dixerit? Quanquam cum sociennis *Beza part. 2. Resp. ad Col-*
loqv. Mompelg. p. 148. 158. 209. 218. & alibi item in ipso Colloqv.
548 edit. VVitteberg. Piscator part 2. Respons. ad Duplicat. Vorst.
p. 284 & seqv. & part. 3. p. 73 (quorum ille à B. Tarnov. Comm. in
Joh: p. 312. seqq. hic à Fewerb Synt. 1. p. 2. Diss. 5. th. 19. seqq. solidè
refutatus est) negat ἀπιστίαν esse causam meritoriam damnatio-
nis. Qua de causa etiam videndum, quò nostra sibi constet ne-
gatae Minoris ratio, quid eam in rem afferat VV. Exerc. 64. §. 17
credere, inquit (se: fide in specie sic dicta, qua credimus & planè
persvasi sumus omnia nobis peccata remissa esse propter Christum ex
Patris destinatione & intentione missum, ut morte sua nos ipsi re-
conciliaret, mortisq; aeternae debitum pro nobis exsolveret, & partem
suam nobis imputaret justitiam data fide, qua eam nobis applicare-
mus) in reprobis esse causam damnationis meritoriam nego. Qui
contra dicunt eos l. oportet concedere, reveri reprobos simpliciter &
absolutè pro vero habere & verum non est, quod absurdum l. pro re-
probis aeternum beandis non minus esse missum Dei filium quàm pro e-
lectis, quod falsum esse aliunde probatum supponit. Repetit
candem sententiam § 99. in ead. Exercit. ubi tamen notat, se per
incredulitatem velle intellectam finalem incredulitatem in specie sic
dictam

diētā, & fidei salvificæ oppositam, quā credimus ab æterno nos ad vitam electos per Christū, in tempore redēptos, & per impetratū Christi obedientiā justificatos, & æternæ vitæ hæredes infallibiliter futuros. Resp. Longe melior Wendelino, ut nec ipse per omnia dū satis faciat veritati divinæ Job. Croc. part. 2. Cōvers. Prutenic. c. 16. p. 473 non posse incredulos propter incredulitatē damnari (quod tamē ipse statuit) si nullā penitentiā ratione pro ipsis Christus mortuus sit. 2 Nō salte *ἀπιστία* fidei salvificæ opposita est, quū quis non credit sibi peccata actu remissa propter Christum, se esse in numero electorum, se esse justificatum & infallibiliter futurum hæredem vitæ æternæ: sed *ἀπιστία* etiam fidei salvificæ opposita est, quum saltem non credit, meritum Christi ad se spectare. Sicut sanitati omnes morbos excludēti opponitur tamē morbo aliquis in particulari. Verū igitur credāt nec ne, si crederēt reprobi sibi remissa propter Christū peccata se justificatos & electos esse, ac infallibiliter hæredes regni Dei futuros; dummodo verū credāt, quando crederēt, Christum pro ipsis mortuum esse & peccata ipsorum expiasset, ut si vera fide hoc meritum sibi applicarent, æternam damnationem effugere, & ad hæreditatem vitæ æternæ aspirare possent, ex nostra certē sententiā non sequitur, teneri reprobos absolutē pro verò habere, quod falsum sit, quum & pro reprobis mortuus sit Rom. 4, 15, 1. Cor. 8, 11. de quo post plura dicturi sumus. Pro reprobis æternū beādisquātū ad beatitudinis acquisitionē, missū esse Christū falsū nō est. Venit filius Dei salvare quod perierat. *Matth. 18, 11* Illuxit (in nativitate Christi) gratia Dei salutifera omnibus hominibus. Tit. 2, 11. Pro reprobis actu in æternam beatitudinem deducendis missum esse Christum Orthodoxy non dicunt. Nēque tueri aliter orthodoxyam de causa damnationis sententiam posse censendi sunt, nisi aut admittant reprobis falsum credendum, quod jam negavi. Christum pro reprobis actu in æternam beatitudinem deducendis missum esse; quum sufficiat, pro causa damnationis constituenda *ἀπιστία*, sola hæc obligatio, quod teneantur credere, Christum ad æternā vitam promerendam omnib9 missum fuisse. (9) *Ille universaliter per mundum est salvata vel salvanda.*

21.

22.

24.
Ebr. II, 9.

26.

vanda. Atqui absoluta universalitas non est salvata l. salvanda. E.
Resp. ad Maj. eos solos per mundum intelligi, qui sunt salvati, &
falsum est: latius patet beneficium dilectionis hujus, quam sal-
vationis. Nequidem de salvandis admitti potest, nisi intelligas
salvandos ex intentione s. voluntate Dei antecedente. Eò n. spe-
ctat, quod probationis loco adducit VV. quod Filius Dei sit mis-
sus ad salvandum mundum. Nempe missus est ad salvandam mū-
dū meritorie; non quoad actualē salutis collationem, de qua va-
let illud: qui credit, salvatur, qui non credit, damnatur Joh: 3.
18. Quod vero (ut ad *Minorem* deveniamus) omnes sint salvandi
ex intentione Dei benigna, id ex modo dictis constat 10. *Oppone*
nobis *Patres nonnullos*, qui non intellexerint h. l. de absoluta u-
niversalitate. De eo autem nihil nunc addemus, vel ea saltem
de causā, quod Patrum scripta Scripturis S. sint subjicienda, do-
cente *Form. Conc. p. m. 570* Specialiora de his conflictui reservamq.
(11) pro omnib; mortuū esse ex *Ebr. 2. 19.* cōstat Ubi quid. *Wendel.* in
Theol. Christ. dicit, per omnes intelligi electos omnes tam gentiles
quam Judæos. Verū recte ipsi respondet *Collegium Salanum*,
assumi pro concessio, quod hætenus non probatum. Neq; n-
dum probatum est i uspiam in Scriptura eam gentium & Judæo-
rum collectionem notare, quā non omnia, sed tantum aliqua &
quid. paucissima (pauci n. sunt electi Matth. 22 14) individua in-
telligantur. 2 licet alicubi sic usurpetur, probandum tamen
superesset, hic l. ullibi, ubi de Redemptione Christi res est, eo
modo accipi. Frustra hic *W.* onus probandi in *Animadversores*
suos nititur devolvere *Exercit. 64. § 38.* nam & ipse asserens hic
per omnes intelligi electos, (non saltem negans per omnes, to-
tum genus humanum intelligi) affirmationis suæ rationes tene-
tur afferre, juxta consuetum disputandi processum. Neq; eo
quippiam obtinet, quod probari vult, per omnes hic absolute
omnes intelligi. Facile hoc probari potest id ex eo, quod in pro-
pria significatione vocabuli standum sit, donec nos recedere ju-
beat Spiritus S. At nec recedere jubet à proprietate l. hic, l. alibi,
& propria significatio vocis πᾶς non est, nisi hæc, quod notet
omnes in universum. Unde & *Syrus* hic exposuit: pro omni ho-
mine, quando a, duo sub unum prædicatum volunt revocare
Græci,

Grati non utuntur voce $\omega\acute{\alpha}\varsigma$, sed $\alpha\lambda\lambda\omicron\upsilon\sigma\eta\sigma$ uterq;. Nec uspi-
 am dicitur pro solis electis esse mortuus, quod necessarium utiq;
 foret, si vox $\omega\acute{\alpha}\varsigma$ electorum saltem universalitatem hic notaret.
 Quin potius non fidelibus tantum, sed etiam pro toto mundo 1 Joh. 2, 2.
 propitiatio dicitur 1 Joh. 2, 2 neq; n. in priori membro omnium æ-
 tatum & ordinum fideles, qui tum temporis vivebant, ad quos
 directè scribebat tanquam Apostolus, uti putet *W. Exer c. 64. § 32*
 intelliguntur, & in posteriori per Mundum electi & fideles om-
 nium temporum. Nam posito in priori fideles saltem sui tem-
 poris, intelligere Johannem; verba tamen posterioris membri
 $\epsilon\upsilon\phi\alpha\tau\iota\kappa\omega\lambda\epsilon\pi\alpha$ sunt, quam ut de solis accipiantur electis; quum
 non tantum vox mundus in eo fit, sed etiam addatur $\omicron\lambda\lambda\omicron\upsilon\sigma$. Quod
 vel ipse *Zwingli* parte 3. operum super h. l. p. 588. & *Rodolph. Gual-*
ther Homil. 5 in hoc cap. 2 p. 12. edit. Tigur anno 1562 in folio agnos-
 cūt ut de *D. Croc.* qui idē vidit & cōfessus est lib. 4. Syntagm. S. The-
 ol. c. 1. p. 963. & c. 6. p. 1027. nihil dicam Neq; cōtextus id patitur. Vi-
 deatur *disp. 13 Tom 6 Giff th. 61.* Et præterea falsū quoq; est in priori
 electos sui temporis intelligere, æque sicut & illud, Apostolum
 tanquam Apostolum directè scripsisse ad fideles sui temporis; si-
 quidem Apostoli non debuerunt saltem docere viva voce, sed
 etiam docere post mortem per sua scripta, super quæ tota exstrui-
 tur Ecclesia Eph. 2, 20 unde etiam quemadmodum jubemur Mo-
 sen & Prophetas audire Luc: 165. 29 eodem modo Apostolos au-
 dire, nobis mandatum esse colligitur. Et ne dubium ullum
 amplius restet, etiam eos, qui pereunt, mortem Christi attinere
 testatur Spiritus S. eo ipso glossam Calvinianam funditus ever-
 tens. Et hoc III nobis pro universalitate meriti Christi suppe-
 ditat argumentum. Cui sit suum constet robur producimus
Rom. 14, 15. ubi prohibetur firmioribus in fide, ne utantur liberta-
 te sua cum offendiculo & scandalo cum primis fratris ne pereat
 ille, pro quo Christus tamen mortuus sit. Unde argument. *Is*
quem perdere prohibet Apostolus, non est per specialem aliquam gra-
tiā à perditione s. æterna damnatione exemptus. Sic non prohibe-
 mur perdere fratrem in cœlesti gloria cōfirmatum, quia talis per-
 di prorsus non potest. *Is quem perdere prohibet Apostolus, pro eo*
Christus est mortuus. E. quidam pro quo Christus mortuus est per specia-

lem gratiam ab aeterna damnatione exemptus. Quod notandum contra VVendelin. scribentem infirmum fratrem, pro quo mortuus est Christus, etsi in sua imbecillitate consideratus, & respectu potentiae Satanæ atq; scandalorum perdi possit: tamen respectu assistentis gratiæ potentissimæ & voluntatis divinæ immutabilis perdi damnariq; non posse. *Joh 10, 28. 29. & Rom. 8. 38. 39.* ad quæ provocat VV. non asseritur talis gratia inamissibilis in fidelibus, quos omnes electos esse putant Adversarii. Sed in loco *Johanneo* saltem habetur, quod nemo possit *irapere* (*ἀρπαζειν*) ex manu Christi, quamdiu deditæ sunt ipsi, & ut oves, vocem ejus audiunt, pastoremq; agnoscunt & sequuntur v. 3. 4. 14. 16. adeoq; credunt v. 26. 27. Ex quo non sequitur E. nullo pacto possunt gratiam amittere. Possunt n. ex interna pravitate, Diaboliq; fraudulenta seductione se subducere. *Ebr. 10, 38.* Conf, *Ezech. 24. à v. 23.* usq; ad 31. in loco Paulino itidem sermo est *de vi externa*, quæ nos, qui sumus in Christo Jesu v. 1. qui non secundum carnem ambulamus v. 13. Filii Dei sumus & spiritum S. admittimus v. 14. separare non possunt. Dicitur insuper *creatura in* nos non posse separare, quo non derogatur peccato, quod in nobis est, potestas separandi: id n. creatura non est. Vid. *B. Weller.* doctissimo Comment in epist. ad Rom: h. l. Electos non posse perire Christus ait *Matth. 24.* non tamen ob gratiam ex absoluto decreto inamissibile, sed ex hypotesi prævisionis divinæ; quæquæ etiã òdũ probatũ sit, infirmũ istũ fratrem ex electorũ numero esse. Neq; est, ut dicat VV. quod ex *Polanol. 6. Synt. c. 18.* fortè hausit Nō prohiberi hinc perditionẽ, sed *sub ministratiõẽ occasionis pereũdi*. Verba textus nō inferunt occasionem perditionis, sed perditionem ipsam. Excute omnes Lexicorum libros, nullibi invenies, *ἀπολλύειν* reddi per occasionem perditionis. Provocat quidem ad analogiam fidei, d. l. *Wend.* quæ, uti censet, non permittat damnationem eorum, pro quibus redimendis missus est Dei filius. Ast insigniter fallitur, quia loca illustrissima (ex quibus, quid fidei analogon, petendum) meritum Christi referunt ad omnes in universum & *1. Cor. 8, 11.* disertè dicitur *periturus*, non occasionem pereundi accepturus, infirmus frater ob quem Christus mortuus sit Adhæc glossæ VVendel, textus ipse refragatur. Qui in tempe
stivo

Joh. 10, 28.
29.

Rom. 8, 38.
39.

stivo adiaphororum usu prohibetur perdere, isvī contextus pro-
hibetur, ne perdendo contra charitatem fraternam quid faciat ut
irritum alii reddat beneficium mortis Christi. Qui vero occa-
sionem præbet perditionis, quæ tamen in actum ob Dei gratiam
deduci non potest, is non peccat contra charitatem Christianam,
ita ut alii reddat irritum beneficium mortis Christi. Non g. sala-
tem interdicitur, ne fratri inuimmo quis det occasionem pereun-
di, ex qua tamen ipsi nullum sit pereundi periculum, ob dex-
tram Dei sustentantem. 2 Pet. 2, 1. negat I. qui VV. de vera redem-
ptione ab æterna morte, sed de liberatione ab ignorantia seculi,
quæ per Evangelii lucem multis etiam reprobis obtingat. Sic
quoq; *Molinæus* in Anatom. Arminianis. v 29. §. 9. p 222. & *Depu-
tat. Synod. Geldric.* in Judic. suo de 2. art. Remonstr. p. 17. & *Masson.*
part. 3. Anatom c. 9. p. 262 Res. respicit *W.* cum *Molin* & *Masson.* ad
v. 20. 21. 22. hujus capituli. Verum hi potius pro nobis faciunt. si n.
quod ibi dicitur, pseudo prophetæ illi ab inquinamentis mundi
refugerunt per agnitionem Domini & Salvatoris J. C. verè fuere
overti & fide salvifica donati; quum verè credentes hoc modo
describatur. 2 Cor 7. 1 Ezech. 36. 25. 26. 29 Unde etiã in statu regene-
rationis comparantur *sui lotæ* v. 22. Pro vere credentib. a. mortuū
esse Christum, ut eos ab æterna morte liberet, nemo, quod sci-
am, Calvinianorum negat: neque negari id potest, nisi aliquem
ad tempus habuisse fructum passionis Christi, pro quo tn. ipse
non sit mortuus, per absurdè velis dicere. *Excip. VV. Exerc. 64. §*
47. ab annunciatione beneficiorum ad eorum acquisitionem NV. C.
nec à qualicumq; illuminatione ad regenerationem: quum etiam
diabolis revelata sint salutaris doctrine mysteria, iisdq; melius nota,
quam multis Dei filijs. Et addit unius rei posse plures esse fines. Resp.
1. annunciantur ne Diabolis beneficia morte Christi parta? æque
minus, atq; Angelis bonis, quib. tn. etiam per annunciationem
hominib9 factam (ad quos legatione Christi funguntur doctores
Ecclesiæ 2 Cor. 5, 20.) nota fit per Ecclesiam *πολιπόικιλ* & illa
sapientia Dei Eph. 3. 10. 2. ubi refugisse dicuntur Diaboli ab inqvi-
namentis mundi per agnitionem Dei, quod hic de falsis docto-
ribus habetur? Nonne semper immundi spiritus esse perhibentur
Luc. 11, 24. & alibi. Cœterum ab illuminatione qualicumq; ad re-
gene-

P2et. 2, 1

generationem si non licet, tamen ab eo illuminationis gradu, qui
præstat, ut refugiamus ab iniqua mentis mundi, ut sui lotos
similes habeamur? unius rei fines esse posse uti admittimus; sic
illud à posse ad esse N. V. C. ingeminamus. Alium nobis finem
annunciationis ostendant si possunt ex Scripturis Adversarii,
Urgeri etiam advers. Calvin. potest vocis ἀγοραζειν & εἰς ἀγοραζειν
propria in negotio Redemptio Christi significatio, quæ redempti-
onem infert à morte æterna Conf. 1 Cor. 6. 20. c. 7. 23. Ga 1. 3. 13. c. 14
5. Apoc. 5. 9. c. 14. 3. 4. Neq; regeſtio W. Exerc. 1. § 46 alicujus mo-
menti est, quando reponit probandum quod perpetuò significet re-
demptionem ab interitu per solutionem λῶτρῶς factam, quod fieri non
possit: dari n. in Græcis Concord. multa diversa, & pro quacunq; li-
beratione in scripturis accipi notasse Molinæum. Enimverò damus
lubentes, quod aliquando accipiatur pro emptione civili. Job. 13,
29. 1 Cor. 7. 30 &c: pro observatione temporis commodi Eph 5, pro-
pria precatione Apoc. 3. 18. præterea nullibi occurrit in N. T. nisi in
locis, ubi de redemptione Christi res est. Quoniam igitur, quan-
do de redemptione Christi agitur, ubiq; redemptionem ab æterna
morte infert, uti ex II supra allegatis patet: neq; alia loco con-
venit vocis istius significatio, cur non pro famosiori significatu
hic acciperemus, urgente præprimis, de quo ante dictum, tex-
tus σὺν ἑαυτῶν. Molinæo ad quem provocat VV. respondit jamdum
B. Fewrb. Synt. 1. part. 2. diss. 3. th. 16. seqq. posse accipi de liberatione
non ἀληθῶς, sed κατὰ δόξαν facta, quod addit ibidem VV. glossa
est, quæ semel edmissa facie posset totum Dei verbum perverte-
re, neq; sic satis certum esset, pro electis & fidelibus Christum
esse mortuum. Quid n. obstat quo minus dicam etiam pro ele-
ctis κατὰ δόξαν esse mortuū. Nihil certenisi hoc, quod phrasis per se
actum realem notans, eum significatum obtinere existimanda sit
hoc in loco, ubi textus diversum non svadet. Cogitent g. adver-
sarii, nec his in locis, nec alibi, textum aliud svadere, ideoq;
haud inmeritò à tam impia glossa abstinendum esse. Plura,
quum brevis esse laborem, quamvis adhuc alia apud VVendel.
restent examinanda, non addo. Forsan in publica horum venti-
latione dabitur ansa, de iis quoq; memtem nostram expo-
nendi.

Anti

Avōi. Nullos Reformatōrū serio credere, qvant umvis aliū
 hac in parte qvoad modum loqvendinobis propius accedere vi-
 deantur, vel ex eo liquet, quod omnes in universum *Synodum Dor-*
dracenam amplectantur. Cujus in art. 2, num. 6. clarissima hæc
 verba sunt. *Voluisse Deum, ut etiam per sanguinem suum solos*
illos, qui ab eterno, ad salutem electi, & a Patre ipsi dati sunt, ef-
ficaciter redimeret fide (quam ut alia dona salvifica ipsis acquisivit)
donaret, ab omnibus peccatis tum originali, tum actualibus, tam post,
quam ante fidem commissis sanguine suo mundaret. Et ne putes
 efficaciter applicationē nō acquisitionē, respicere, addūt: eā distin-
 ctionē usurpari, ut incautis & imperitioribus hæc opinio instilletur, *De-*
um quantum ad se attinet omniibus hominibus ex æquo ea beneficia
voluisse conferre, que per mortem Christi acquiruntur. Alioqvi non
 negamus quosdam, *Hypotheticos* ideò dictos, concedere, *Chri-*
stum pro omnibus mortuum esse, iisq; remissionem peccatorum, justi-
tiam & vitam eternam promeruisse, si omnes credant. Hoc sepa-
 tō explicarunt in *Synod Anglican. Bremenses, Matth. Martin. &*
Ludov. Croc. (Iselburg. n. ab his in Synod. dissensit.) Consentunt
 his *Joh. Camero, Paulus Testardus, Moses Amyrald, & Joh. Dallæ-*
us, & plures alij, qui hos in Gallia sequuntur. Qvi v. ipsi quoq;
 non orthodoxè sentiunt, uti pluribus argumentis evincit *Ma-*
gnif. Dominus D. Calovius Prælect. publ. in Conc. Christi super
dictum Joh. 3 16. Neq; diffitemur meritum Christi ad omnes voca-
tos extendere Joh. Bergium nondum tamen, ne hic quidem ex asse
orthodoxum in Tract. Germ. Der wille Gottes von aller Menschē
seligkeit. c. 13. dicentem/ daß er Wahrhaftig vor alle beruffene ge-
storben / den er zuförderst dise gnade der beruffung durch seinen
Zod erworben/ Cæterum longè plures sunt, qui dicunt, quod
Christus solis electis remissionem peccatorum, reconciliationem cum
Deo, restitutionem in gratiam & c: impetrarie. Ita n. in *Synod. Dordr-*
se declararunt Helvet. in Judic. Exter. Genevens. Embdani, deputati
Austral. & Nort Holland. Eccles. Friscarum Transsularia, Uitraje-
ctini, Fratres Selandia, Nassovio Wetteravici, Hassiaci & c: quo-
 rum verba adducuntur, in scripto Germanico *Facult. Theol. cui*
 titulus *Gründl beweiß p. 255. seqq.* Et quanquam inter hos aliqui
 distinguunt inter mēriti Christi *sufficientiam & efficaciam*, dicentes

E

meri-

meritum hoc esse universale, quoad sufficientiam, quam iterum alii distinguunt in sufficientiam actualem & possibilem, absolutam & intentionalem, quod accuratè satis notavit *Magnif. Dominus D. Praeses Ex. Catech. Palat. Disput. 29. th. 7.* nemo tamen ex iis pro omnibus ex intentione Dei persolutum esse pretium redemptionis agnoscit.

Επίλυσι. hic omittere cogimur, cum peculiarem ob prolixitatem suam, ea sibi vendicat tractationem.

SECTIO III.

Quod creditu necessaria sit universalitas meriti Christi.

1.

De hoc quoque membro cum nihil promissi memor addere nolo, tum compendium verborum de eo disserturum facere oportet. Paucis igitur esto.

Θεσ. Christum omnibus ac singulis hominibus meruisse, ad salutem creditu necessarium est.

2.

Α'ντίθεσ. est Calvinianorum, per sua dogmata homines salvari posse contendentium, cum tamen non nisi respectu fidelium universales faciant omnes Evangelii promissiones. Vid. *Ursin. Tom. 1. part. 2. Explic. Catech. quæst. 40. p. 173. quæst. 54. p. 212. Piscator in Not. ad collat. Vorst. sect. 129. p. 222. & seqq. Stein. part. 3. fraternit. p. 169. Wendel. Exerc. 64. §. 82. & c.*


Α'πόδ. Justus sua fide vivet Hab. 2, 4. Rom. 1, 16. fides ista apprehendit Christum (in nullo n. alio salus Act. 4, 12.) cum verò impossibile sit credere Christum pro te mortuum esse, nisi credas pro omnibus mortuum esse, impossibile etiam erit salvari, nisi teneas Christum pro omnibus in universum morte sua satisfecisse. Hanc saltè universalitatè, quàm Christus pro omnibus electis, pro omnibus ovibus l. credentibus mortuus esse creditur, cum Calvinianis tenere non sufficit. Siquidem si ex ista propositione fides debet exoriri, audientem sic oportebit subsumere: Ego sum electus, ovis, credens. Quæ subsumptio què fieri potest? unde enim constat Te esse ovem, electum, credentem? an ex
verbo

verbo DEI, unde aliàs fides est Rom. 10, 14. at quodnam illud
verbum? non hoc certè: Deus vult omnes credentes salva-
re: id enim non ostendit, Te esse in numero credentium. Ne-
que extat uspiam ἐπιπίλ, Christum pro me aut te mortuum esse.
Dicis, te id habere ex peculiari revelatione, fanaticus es, fidei
opinionem, non fidem ipsam habens. Nisi g. hoc verbum fidei
substernatur: Christus gratiam Dei omnib. hominib. impetra-
vit; vera solidaque fiducia concipi non potest. Posito a. hoc,
subsumere potest quivis auditor: ego sum homo. E. Christus
gratiam Dei mihi impetravit.

ἐπιπίλ. Obvertit Wend. l. c. *Si per subsumptionem sub abso-
lutè universali colligeretur conclusio (E. Deus pro me dedit Filium
suum eâ intentione, ut in gratiam me reduceret cum offen-
so DEO & æternùm bearet) longè difficilior fore incre-
dulitatem, quàm fidem, tam evidenti demonstratione evictam. Sed
rem magis arduam, & non cujusvis esse fidem 2. Thess. 3, 2. ad quam
preter verbum DEI opus sit Dei digito, qui non omnium, d. suorum
corda tangat & flectat præeunte verbo, quo fidem det, quib. decreve-
rit. R. Argumentatio nostra quavis quid. demonstratione fir-
mior est, eam v. evidentiam non habet, ut quivis rectâ ratione
utens eam non possit non admittere. Major n. in eâ Proposi-
tio cum meræ revelationis sit, potest Tentator ejus veritatem
in dubium vocare, qui si Tentatum assentientem fuerit nactus,
non certè facilius fides concipietur ex hoc argumento, quam ex
puris particularibus. Fidem non esse omnium concedimus:
at non ea tamen de causa, quod, præter verbum, Deus speciali
actione, eorum tantum corda tangat & flectat, quibus fidem da-
re decreverit: d. vitio hominum, quia non obediunt omnes
Deo fidem præbenti omnibus Act. 17, 31. Instat V. Vendel. *Vocens
non audiunt nisi oves Job. 10, 26. Ad fidem in hisce generandum
sufficit promissio annexam fidei conditionem habens: quicumque
credit l. crediturus est, vitam æternam habebit Joh. 3, 16. R. hic
i. falsò supponi, quicquid sufficit ad fidem in credentibus (mul-
tò minus in electis, quos per oves inteliigunt) generandam id
fidei generandæ divinitus destinatum esse; quia Deus vult, ut o-
mnes ad pœnitentiam convertantur 2. Pet. 3, 9. 2. ut fides in
his, qui credunt, producat, certè non sufficit promif-
sio**

si illa fide limitata Joh. 3, 16. Neq; n. hæc ulli credentium in
individuo determinatè promittit, neque Deum in omnib. fi-
dem efficere velle affirmat. *Neminem habere justam se excluden-
di à merito Christi causam, quia omnibus in Ecclesia sit expositum, o-
mnibus, qui fide apprehendunt, profit, etiam si non omnib. & singulis
redimendis id destinatum sit, quod hic asserit VV. non probat,
quod est in quæstione. Qui non habet justam se excludendi
causam, duntaxat sic colligit. E. potest fieri, ut & ego credam,
& adeò Christus pro me mortuus sit. Non autem hunc in mo-
dum. E. & pro me mortuus est. Quod omnib. exponatur, quum
non omnibus à Deo destinatum sit. Meritum Christi, non gignit
in ullo fidem; d. quemvis in dubio relinquit, utrum forte & ipse
sit in horum numero, cui divinitus id destinatum non sit. Et hæc
in præsentia sufficient. Pro meliori informatione legatur B.
Hunnii Agoræ § 725. seqq. & B. *Hülsem.* disput. de Cred. ne-
cess. C. lvinismo Eius irreconc. sub juncta, & imprimis *Vener. Fa-
cult.* *Theol. Scriptum,* aliquoties citatum part. 2. c. 2 p. 248. seqq. nec
non *Dn. D. Pres. Disp.* XI. de Artic. fid. th. 10.*

SOLI DEO GLORIA.



05 A 941

ULB Halle

3

003 761 436




VD 7

19







I. N. S. S. T. 18
**MERITUM JE-
SU CHRISTI ΘΕ-
ΑΝΘΡΩΠΟΥ,**

In Incluta Universitate Wittebergensi
PRÆSIDE

VIRO

Maximè Reverendo, Magnifico atq; Excellentissimo,

DN. JOHANNNE MEISNERO,
SS. Theol. Doctore Ejusq; Professore Publ.

celeberrimo, Consistorii Eccles. Adessore & Tem-
pli ad Arcem Præposito gravissimo, nec non Venerando
Facultatis suæ Seniore,

*Domino, Patrono, Præceptore atque Promotore suo per
omnem ætatem observando
publicæ exponit ventilationi*

ad d. Octobr.

in Auditorio Maj.

M. JOHANNES SIMON, Dresd.

Facult. Philos. Adj. & Scholæ Oppid.
Rector.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Haken, M. DC. LXVII.